

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Samuelis De Cocceji, Henr. Fil. Sacræ Regiæ Majestatis  
Borussicæ Magni Cancellarii, A Consiliis Sanctioribus  
Status Et Rei Bellicæ, Ordinis Nigræ Aquilæ Equitis Etc.  
Jus Civile Controversum Ubi ...**

Opus Ad Illustrationem Compendii Lauterbachiani ...

**Cocceji, Samuel von**

**Lipsiæ, 1766**

LIB. X. TIT. VI. Ad Exhibendum.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-9044**

Qv. III. *An actio hæc locum habeat, si condominus potuit partem suam seorsim gerere?*

**N**EG. Sed sola actio negotiorum gestorum ei datur; quia ultro, & cum nullam causam haberet, curam rei alienæ suscepit, indeque ad omnem culpam etiam levissimam tenetur. *Vid. tit. præced. q. 3.*

**OBJ.** Quod actio negotiorum gestorum concurrat cum actione *comm. divid. & fam. etc.*

**RESP.** Verum de contraria, quia hæc non est gravior altera. *arg. l. 6. §. f. his qui not. inf.* in hac enim tantum de calculo quaeritur, & gestor agit ad sumtus repetendos. *d. l.* At nunquam concurrat directa, quæ levissimam culpam vindicat, quia gestor, qui non potest seorsim gerere, non ultro rem alienam sed ob suam causam gerit. *l. 25. §. 16. fam. etc.*

## LIB. X. TIT. VI.

## AD EXHIBENDUM.

Qv. I. *An actio ad exhibendum sit personalis?*

**A**FFIRM. *L. 3. §. 3. h.* quia datur non ad jus in re vindicandum, sed ad cogendum possessorem ut mihi exhibeat.

*Laut. pag. 153. verb. quæ est personalis &c.*

**OBJ.** *L. 1. h. ibi: propter vindicationes.*

**RESP.** Inde non sequitur esse reales, sed ut reales cum effectu intentari possint, datur personalis.

**INSTO,** Dari contra quemcunque possessorem. *l. 3. §. f. ad Exhib.*

**RESP.** Sequitur hoc non ex natura actionis, quasi esset ex causa juris in re, sed ex natura rei quam exhibere nemo potest, nisi qui eam habet: Eodem modo uti noxales actiones contra quemcunque possessorem dantur, quia nemo noxæ dedere potest, nisi qui rem habet; quæ tamen actiones non ex causa aliqua juris in re oriuntur, sed personales sunt. *l. 1. §. 12. si quadr. paup.*

Atque hinc apparet hanc actionem revera non esse in rem scriptam, nam tales in jure non sunt, nisi in quibus ex singulari ratione id constitutum apparet, ut in actione quod metus causa. *l. 14. §. 3. ff. Quod met. caus.* Quod vero hæ actiones contra quemcunque possessorem dentur, non est ex constitutione legis, sed id sequi-



quitur ex ipsa natura rei, etsi id constitutum non esset; utpote cum nemo exhibere vel noxæ dedere possit, nisi possideat.

Qv. II. *Cuinam detur hæc actio?*

**R**ESP. Omni ei cujus interest. *L. 3. §. 9. 10. Et 11. l. 19. ff. h.* Modo sit justa causa, *l. 3. §. 11. in f. eod.* sive quod idem est, modo peculiariter actoris interest. *L. 13. ff. h.*

Quando vero videatur peculiariter interesse de eo admodum disceptant Dd. *Alii* corrigunt textum in *d. l. 13.* & pro *peculiariter* legunt *pecuniariter*, quasi non detur actio ad exhibendum nisi pecuniariter actoris interest: Sed male; (1) per text. in *l. 12. pr. h.* ubi non interest pecuniariter actoris, qui libertatem vindicare vult, & tamen datur actio ad exhibendum. Sed & (2) in *l. 3. §. 8. h.* legatarii &c. interest pecuniariter, nec tamen ei datur hæc actio: Uti & (3) in *l. 19. h.* maxime interest exhiberi rationes, neque tamen actio hæc competit. *Alii* rectius peculiariter tum actoris interesse dicunt, quando ipse jus aliquod sibi proprium, ex justa & probabili causa debitum, adeoque quod ipsi peculiare est, petit.

Cessat ergo hæc actio, neque peculiariter interest (1) si jus aliquod publicum petitur, quia actio ad exhibendum præparat tantum actiones privatas, quibus suum quisque jus persequitur, atque hinc is qui concivis sui libertatem consequi vult, non potest agere ad exhibendum, quia non peculiariter interest. *l. 13. h.* sed agit ex jure, quod omnibus e populo commune est. *L. 3. §. 9. hom. lib. exhib.* Secus ergo si agat ad libertatem agnati, filii, &c. tunc enim peculiariter ob jus cognationis ipsi proprium, *l. 12. pr. h. junct. d. l. 13.*

Cessat quoque (2) Si mea non intersit ex justa & probabili causa, forte quod jus mihi quæsitum non sit, nam nec tunc peculiariter mea interest, ut (a) in casu *l. 19. h.* ubi nemo contra tertium ad exhibendos libros agere potest, etsi doctior inde fieri possit, & sic hæcenus intersit, quia non interest ex justa & probabili causa. *d. l. 19. l. 3. §. 11. in f. eod.* (b) quoties hæres, etiam post aditam hæreditatem, tantum agit ad inspiciendum, & describendum tabulas, &c. ut in casu *l. 3. §. 12. Et 15. ff. de Tab. exhib.* ubi hæredibus tantum datur interdictum exhibitorium, quia non contendunt tabulas suas esse, (nam si id contendunt, datur actio ad exhibendum. *L. 3. §. 5. Et 8. Tab. exhib. l. 3. §. 8. test. quem. ap.*) sed agunt saltem ut

Cocc. J. C. P. I.

Dddd

exhi-



exhibeantur, & inde potestatem legendi & describendi consequantur.  
*Vid. q. seq.*

Denique & (3) cessat in legatariis, & aliis, quam hæredibus, qui exhibitionem tabularum testamenti petunt: nam eorum peculiariter non interest, quia tabulæ non pertinent ad eos, sed ad hæredes, *l. 3. §. 8. h. l. 3. test. quem. aper.* cum ergo illi vindicare non possint. *d. l. 3. test. quem. aper.* neque ad exhibendum agere poterunt. *l. 3. §. 14. junct. l. 1. l. 2. l. 3. §. 2. §. 6. seq. h.*

Qv. III. *An actio ad exhibendum detur ei qui exhibitorio interdicto agere potest?*

*Laut. pag. 154. verb. Quod secus est in exhibitorio.* Præmittendum hic est; aliam causam esse actionis ad exhibendum, aliam causam interdictorum exhibitoriorum: Actio enim ad exhibendum est præparatoria rei vindicationis, & tantum datur ei qui propter jus in re exhibitionem petit: *l. 1. ad exhib. l. 3. §. 3. Eod. l. 3. §. 5. Tab. exhib.* Adeoque & patri, qui libertatem filii sui vindicat. *l. 12. pr. ad exhib.* (nam pater quoque vindicat jus patriæ potestatis. *l. 1. §. 1. R. V.*) at interdictum exhibitorium datur iis, qui non propter jus in re vindicandum exhibitionem petunt, sed forte ob aliud jus personale, uti (1) legatariis, &c. qui petunt sibi exhiberi tabulas, ut inde certiores de jure suo fieri possint. *l. 3. §. 8. ad exhib.* (Legatarii enim non possunt vindicare tabulas, sed solus hæres, quippe qui earum dominus est. *l. 3. test. quem. ap. d. l. 3. §. 8. verb. extra hæredem.*) (2) Hæredibus ante aditam hæreditatem; nam nondum vindicare possunt tabulas, cum dominium ad eos non pertineat, quin & post aditam hæreditatem, si non ipsam proprietatem vindicant, sed tantum inspectionem & potestatem legendi describendique desiderant. *l. 3. §. 12. Et 15. tab. exhib.* (Secus ergo si post aditam hæreditatem ipsas tabulas vindicant. *l. 3. §. 8. h. l. 3. test. quem. ap.*) (3) Unicuique e populo qui concivis libertatem quærit, *l. 3. §. 9. Lib. hom. exhib. junct. l. 13. h.* nisi pater sit, qui rei vindicationem habet, *l. 12. pr. h.* & cujus peculiariter interest, *l. 13. pr. h.* is enim ad exhibendum agit.

His ita præmissis, dicimus, quod ei, qui ad exhibendum agere vult, ad effectum vindicandi non detur interdictum exhibitorium, nec contra; nam interdicta dantur in casibus ubi non agitur ad exhibendum ad effectum vindicationis, sed saltem ad effectum inspiciendi, legendi, describendi, &c.

At-



Atque ita non OBSTAT (1) *l. 3. §. 8. h. l. 3. ff. test. quem. ap.* Ubi hæredes agunt ad exhibendum; his autem competit interdictum exhibitorium. *l. 3. §. 12. §. 15. tab. exhib.*

RESP. In dictis legibus agitur de vindicatione ipsarum tabularum, hoc fieri non potest nisi prævia actione ad exhibendum. *L. 3. §. 5. de Tab. exhib. l. 3. ff. Test. quem. ap. l. 3. §. 8. Ad exhib.* Secus si hæres saltem peteret inspectionem ob aliud jus personale, tunc enim cessat actio ad exhibendum, & dantur interdicta & edicta exhibitoria. *L. 3. §. 8. Ad exhib. l. 3. Test. quem. ap. l. 13. ff. Ad exhib. arg. l. 3. §. 5. tab. exhib.*

OBJ. (2) *L. 12. pr. h.* Ubi hæredi datur actio ad exhibendum in casu ubi quoque datur interdictum exhibitorium. *L. 13. pr. h.*

RESP. Actio ad exhibendum datur tantum, si exhibens libertatem vindicare velit, adeoque si pater est, qui habet vindicationem; *l. 1. §. 1. R. V.* cuius proinde peculiariter interest. *l. 13. h.* Alias, & si extraneus est, qui populari actione agit ad exhibendum, (vid. *l. 3. §. 9. Lib. hom. exhib.*) ut scilicet ex inspectione appareat num liber sit, non dabitur actio ad exhibendum: quia concivi non datur vindicatio libertatis, nec ejus peculiariter interest, vid. *praeced. quaest.* sed dabitur interdictum exhibitorium. *d. l. 13.*

## LIB. XL TIT. I.

DE

## INTERROGATORIIIS.

QV. I. An articulos probet ille qui ponit?

NEGAT hoc *Laut. in f. h.* & in eo differre ait a positionibus, quas *Laut. pag. 156. verb. 6. rubr. de posit. n. 6. & 7.* at sine ratione, sine textu, & falso citatis autoribus, id decerpit *Gail. 1. Obs. 79. n. 6. & 7.* ex hoc *Carpz. proc. tit. 13. art. 4. n. 6.* qui citat *Hiltrop. proc. jud. p. 3. t. 3. n. 4. Um. proc. fatetur. l. 3. n. 3.* *Ponens omnes veras esse*

Nos articulos æque ac positiones fateri probamus (1) quia est articulantis assertio, quam veram esse contendit voce, *Wahr* :c. Quin (2) est ipsa positio quæ ab adversario negata fuit, & jam per testes probari debet; & (3) contra sensum communem est, eum non fateri, qui publice & expresse id asserit & defendit, & testibus ac instrumentis id probare contendit: neque enim (4) articulans

Dddd 2

falsa

